
ANDREAE FRANCISCI

# MARIÂNI

## Ε'ΓΚΩ'ΜΙΟΝ.



UUM Viros in Deum religione, in Patriam pietate, in ſuos caritate præcipuos laudibus proſequi, neque majus, neque pulchrius cuiquam, atque eſſe mihi videatur, merito omnium ſermone vapulem, ſi patiar Andreæ Franciſci Mariani nomen e poſterorum memoria excidere. Quæ res ne eveniat, in præſentiarum paucula illius virtutum ducam lineamenta, ex quibus noſcere ſapientibus detur quanti fuerit Vir ille.

Pridie Kal. Aug. anno a reparata ſalute CIƆIƆCLXXXIV. ex Dominico Mariano, & Camilla Corteſſellia honeſtis parentibus Viterbii natus, humanioribus literis a P. P. Societatis Jeſu imbutus, ejuſdem Civitatis Seminarium ſublimioribus ſtudiis erudiendus ingreditur, clariùs heic explendeſcere, quam generoſi condiſcipuli æquo animo ferrent, brevique tantum profecit, ut ſuorum æqualium legeretur Præceptor, & unus inter omnes cives haberetur, cui doctrinæ, ſolidæque eruditionis palma merito deferretur. Tantique fuit ejus in literis præſtantia, ut illum potentiores cives ſuſpicerent, illiuſque optarent conſuetudinem, nec ſemel Eminentiſſimus Princeps de Comitibus tunc Viterbii Epiſcopus eum fuerit obteſtatus, ut ſecum Romam peteret. Sed Franciſcus Patriæ illectus caritate, ſuorumque captus miſericordia, maluit privatus Viterbii eſse, quam in Urbem omnium optimarum artium theatrum translatus doctrinæ, eruditioniſque radios latius, longiuſque diffundere; Quod in literato homine maximum modeſtiæ argumentum eſt. Verum iteratis humaniſſimi Principis invitamentis laceſſitus, & quorundam Civium ſuorum indignatus aſperitatem Romam ſe contulit, interque Aulicos receptus, illius Bibliothecæ præficitur. Michaele Angelo de Comitibus ad ampliſſimam Petri Sedem evecto inter ce-

teros Domesticos, Familiaresque adlectus, tantoque Principi ob castos, probatissimosque mores carissimus *Beneficiatus* Augustissimæ Vaticanæ Basilicæ renunciatur, cui inserviendo ita assiduus fuit, ut vel religione spectatissimos Viros sua pietate incitaret, in suique raperet admirationem. Benedicti postea XIII. munificentia Græcus Scholiastes in Pontificia Bibliotheca cooptatus, tanta diligentia officium implevit suum, ut heic ut plurimnm licet feriatus tempus traduceret suum: Et quùm cl. Assemannius Christianæ reipublicæ ergo Syriam petiisset, unus hic inventus sit, cujus spectatæ fidei Bibliothecæ cura committeretur, adeoque laudabiliter se gessit, ut sæpius auditum sit plus uni Francisco, quam ceteris omnibus Bibliothecam debere. Horas, quæ ex Bibliothecæ, & Basilicæ curis supererant Patriæ beneficio, suisque erudiendis impendebat. Plus enim Franciscus Patriæ reddidit, quam ab illa acceperit, nam huic uni contigit desperatis Patriæ antiquitatis ornamentis contra acerrimos, celeberrimique nominis hostes in universo literatorum Senatu arma sumere, proprio Marte per triginta, & amplius annos erecto animo pugnare, immortalemque Tropeum illius splendori erigere, quo illi decus non modo redditum, sed & amplificatum est. Anniumque tot censuris, tot accusationibus male habitum, exagitatumque, spretis gravissimorum Aristarchorum clamoribus, in plerisque omnibus ad Patriam pertinentibus radiantis ingenii sui lumine penitus illustravit, civibusque iter aperuit, quo omni torpedine excussa Patriæ jura adversus quoscumque valeant vindicare. Suos vero non amore, sed στοργῇ est prosecutus, omnes enim reditus in illis alendis, fovendisque humanissime impendebat, & si quid supererat larga manu pauperibus hilariter tribuebat. Quatuor ex Sorore nepotibus extitit summo caritatis officio Pater optimus, studiosus Educator, diligens in literis Magister, & Christiani itineris gravissimus monstrator illorum animos æmulatione domestica succendere maximopere studuit. Tanta verò in D. O. M. religione erat, ut illum veræ modestiæ, & Christianæ disciplinæ exemplum homines intuerentur, itaque omnes sua pietate, animi candore, abstinentia, admi-

admirabili vitæ integritate incitabat, ut priscis illis, atque sanctissimis Catholici Ordinis viris compararetur. Nulla unquam neque ætatis, neque loci, neque temporis excusatione usus est, quin domi Canonicas preces flexis genibus, apertoque capite Deo persolveret, Ecclesiam quotidie adiret, ibique incruentam Deo Patri hostiam summa reverentia offerret. Jejunium vel in extremis vitæ diebus sanctissimè servavit, tantique fecit omnia diligenter implere officia, ut vel postremo vitæ die Psalterium alternis recitare voluerit, incommoda licet, sævissimaque δυσπνοία vexatus, tanto labore, tantaque in Deum reverentia, ut ex oculis suorum lacrimas exprimeret, nihilque aliud vel in somnis purissimum illius os resonaret, quam Psalmorum verba, & illa præsertim, quibus Zacheriæ cantus exprimitur. Usque adeo mollioris vitæ voluptatum ignarus, ut nullam neque suæ, neque alienæ pudicitiæ labem intulerit, adeoque in sermone castus, ut ne joco quidem unquam vel subturpiculum illi exciderit verbum. Græcas litteras, nullo monstrante magistro didicit, adeoque in ipsis profecit, ut unus omnium doctissimus in Pontificia ditione haberetur, illarumque decus erexerit, & restituerit, satisque laudum Græca in eruditione illi tributum ducimus, si dixerimus a cl. Jacomellio omnium ætatis nostræ græcarum literarum peritissimo, eum tamquam summum censorem delectum, consultum, maximique habitum; Hebraicas a Judæo accepit. Huic purissimi Poetæ, clarissimique Oratoris famam Roma severæ auris judicio superba, neminique adulatrix detulit. Non fortunæ, sed hominibus amicus, nullas unquam gessit inimicitias, neque quemquam læsit, & læsus oblivisci, quam ulcisci maluit. Moris etiam Majorum summus imitator, antiquitatisque amator diligentissimus. Augustini, Thomæque discipulus studiosissimus tanto in Theologica valuit facultate, ut de quacumque re sententiam rogatus, illius responsum plusquam ceterorum omnium valuisse compertum habeamus.

Scripsit de Etruria Metropoli, orationem pro Joanne Annio, variaque ad hoc spectantia responsa, quæ a celeberri-

leberrimis Europæ Accademiis benignè excepta, multum probata, æternisque laudibus cumulata jam notiora sunt, quam ut quivis eruditus possit ignorare. Edidit & nonnullas Elucubrationes contra Claudium Salmasium de Hellenistis; contra Cluverium, Holstenium, aliosque de antiquis Veiis; De Thermis Taurianis; Utrum Cortona fuerit Corythus ad illustrem virum Ridolphinum Venuti. Quum vero orationem pro Annio in vulgus emittere uberrimis illustratam animadversionibus cogitaret gravissimo hydropis implicitus morbo, Ecclesiasticis Sacramentis admiranda reverentia susceptis diem obiit supremum, & in Ecclesia S. Spiritus in Saxia, in Ædicula depositionis a Cruce, conditus est hoc scripto Epitaphio.

DEO SACRUM

FRANCISCO MARIANO VITERBIENSI
INNOCENTII XIII. P. M. FAMILIARI ACCEPTISSIMO
SS. BASILICAE VATICANAE PRESBYTERO BENEFICIATO
PONTIFICIAE BIBLIOTHECAE GRAECO SCHOLIASTI MERITISSIMO
IN SVIS OBEVNDIS OFFICIIS ITA ASSIDVO
VT OMNIBVS ADMIRATIONI FVERIT, ET INCITAMENTO
VIRO PATRIAE VINDICI INVICTO
MODESTIAE IN DOCTRINA
SIMPLICITATIS IN AVLA, PAVPERTATIS IN HONORIBVS OBSERVANTISSIMO
IN SVMMA VITAE INTEGRITATE POENITENTIAE STVDIOSSISIMO
IN DEVM RELIGIONE,
INPAVPERES LIBERALITATE, IN SVOS CARITATE NEMINI SECVNDO
HEBRAICA, GRAECA, LATINAQVE LINGVA EDITISQVE LIBRIS CLARISSIMO
MOLESTO, DIVTVRNOQVE MORBO PATIENTISSIME TOLERATO
E VIVIS SVMMA REIPVBLICAE LITERARIAE JACTVRA EREPTO
PRIDIE IDVS MAJ ANNO CIƆIƆCCLVIII. AETATIS LXXIV.
JOSEPH SPALLETTVS LVGENS,
MOESTISSIMVSQVE AVVNCVLO MVNIFICENTISSIMO
TANTILLVM HOC GRATISSIMI ANIMI MONVMENTVM PONI
ILLVMQVE QVI ἑαυτῷ πάντα ἦν HVC INFERRI CVRAVIT.

Ου λεγε Φραγκισκον θνησκειν, ουκ ευσεβεες γαρ
Εκλειπουσ᾽ αλλ᾽ ουν υπνον εχουσι γλυκυν